

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XCV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

tuta illorum memoria, aut recordatio in æternum. De hoc vide plurima scripturæ loca, Dispositione præcedenti XCII. in fine.

ADMONITIO addenda, Quod hæc pro fidelibus & pœnitentibus tantum dicantur. Illis enim solis non imputantur peccata, Rom. 4. v. 5. Ideo beati sunt, Psal. 32. v. 1. Facit etiam hic locus contra Pontificios, asserentes, operum merita extinguere peccata. Contra Christus, Ego, ego deleo Et ego SOLVS, Esai. 63. v. 3. PROPTER ME, non propter vestra merita. Alias gratia non esset gratia, Roman. 11. v. 16.

F I N I S.

T H E M A X C V.

Esa. 45. v. 22.

Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terra. Ego enim Deus, & præter me non alius.

D I S P O S I T I O.

Verba sunt hæc Jesu Christi filii Dei, quem Propheta Isaias (cognatus ipsius, Esa. 5. v. 2.) introducit loquentem in hoc capite, & erigentem Ecclesiam suam variis consolationibus. Quod autem Christus, filius Dei, loquatur in hoc capite, Paulus electum Dei organon & fidelissimus scripturarum interpret testatur, Rom. 14. v. 11. allegans locum ex hoc capite, qui immediate sequitur verba prælecta, & de Christo eundem explicans, quod ipsi, utpote viuorum & mortuorum Judici, curandum sit omnne genu.

Quod de Christo repetitur Phil. 2. v. 10.

Idem hoc loco ad se omnes gentes vocat, sicut & Matthæi 11. vers 28. ut intelligatur, eundem Jesum Christum fuisse heri (id est, in Veteri Testamento) & hodie (hoc est, in Nouo) & in secula, Hebr. 13. v. 8.

Est autem hic locus admodum insignis, ubi æterna salus offertur: quæ non est repudianda.

Dice-

Dicemus igitur. 1. Quibus hominibus filius Dei hoc loco offerat salutem.

2. Quibus mediis illam possint consequi homines.

I. Pars.

Paulus Rom. 3. v. 29. hanc mouet quaestionem: Num Iudæorum tantum Deus? Imo etiam gentium, respondet ibi. Et videbantur sane olim tantum Iudæi electi. Ideoque Petrus dubitauit, utrum etiam gentes participes possint fieri Spiritus sancti. Act. 10. v. 28. In Christo autem neque Iudæus neque Græcus, Coloss. 3. v. 11. Gal. 3. Omnium vult misereri, Rom. 11. v. 32. Diuus in omnes Rom. 10. v. 12.

Hoc apparet ex præsentī loco, vbi filius Dei salutem offert omnibus terræ finibus.

Vult omnes gentes valedicere Idolis, & saluari per Dominum Jehoua, qui est Christus, Paulo teste, vt supra.

Eandem ob causam Christus iussit doceri omnes gentes: & prædicari Euangelium omni creaturæ, Matth. 28. Mar. 16. Sicut & in omnem terram exiit sonus eorum, Psal. 19. v. 4. Rom. 10. v. 19. Et prædicatum Euangelium omni creaturæ sub cælo, Coloss. 1. v. 23.

L. Hinc patet, quam vana, mendax & impia atque in Christum contumeliosa sit doctrina, (vel potius opinio aut hæresis) eorum qui negant, DEVM voluisse omnes homines saluare: sed multos ab æterno destinasse exitio quorum nunquam voluerit misereri, fabulantur. Negant etiam CHRISTVM pro omnibus mortuum, negant Deum serio obrulisse suam gratiam omnibus. Et sic ex Deo faciunt hypocritam, &c. [quod non tantum Beza & socii in Colloq. Mompel. sed & plurimi ipsum secuti, publice docuerunt. Videatur Theolog. Calvinistarum: & Enchirid. D. Hafenrefferi atque libellus Philip. Nicolai D. de Deo Caluipistarum, & plures alii tractatus.]

Nunquid enim patet vel ex hoc vno loco, contrarium huic opinioni blasphemæ? Imo, idem vult iuramentum illud

illud diuinum Ezech 32. v. 11. Idem Christi verba Joh. 3. v. 16. & Matt. 18. v. 14. & Matt. 11. Venite omnes. & Joh. 6. v. 37. Neminem circiam foras. Non est respectus personarum Act. 10. v. 34. Idem Paulus 1. Tim. 2. v. 4. Omnes vult saluos. Idem Petrus 2. Pet. 3. v. 9. Omnes ad pœnitentiam. Idem Joannes 1. Joan. 2. v. 2. pro totius mundi peccatis.

At hoc egit Satan summo studio, vt hanc nobis eriperet consolationem, quam scit altoquin piis mentibus fore efficacissimam.

Nos vero has diuinas promissiones, quibus salutem omnibus offert scriptura, mordicus retineamus, & deprehendimus, vel ipsas inferorum portas non praualicuras. Et hoc cum Augustino certo statuamus: Nemini vnquam defuisse salutem, qui dignus fuit. August. De prædestinatio Lib. 1. c. 9. Procul etiam ex animis nostris remoueamus, carnis nostræ & rationis humanæ varias obiectiones, quæ Deum cœnantur facere authorem damnationis multorum hominum. Ipse enim verax & contra omnis homo mendax, Rom. 3. v. 4.

Verbum ipsius veritas, Ioan. 17. At iudicia ipsius abyssus multa. Plal 36. v. 7.

II. Pars.

Non tantum omnibus salutem offert hic filius Dei, sed vt appareat quod nemini illam inuideat, medium etiam consequendæ salutis non occultat, & disertis verbis demonstrat: his scilicet, Ad me conuertimini, vel (rectius) respicite. Nolite idola sequi, non creaturas, non angelos, non homines colite. Quia ego Deus & solus saluator (vt in præcedenti versu. 21. seipsum nominat) & non alius præter me.

Non merita vestra, nec aliena iuuabunt. Ego vnus & solus deleo peccata, &c. Esa. 43. v. 24. & 62. v. 3. Ad me ergo conuertimini, ad me vnum respicite. Quomodo autem hos ad ipsum conuertimus, vel in ipsum respicimus? Vera fide: Hoc ipse similitudine serpentis ænei illustrat

V

Joan.

Joan. 3. v. 14. Sicut respicientes illum serpentem æneum
suspensum, Num. 21. v. 9. sanati sunt; ita qui fide Christum
respiciunt, salutem habent, sicut pluribus hoc Saluator
loco citato inculcat.

Lo c v s. Discimus itaque fidem esse medium illud ap-
prehendens salutem. Explicari potest hoc similitudine
manus accipientis Eleemosynam.

Neque est hæc noua Religio, aut commentum Lutheri
& Lutheranorum: sed antiquissima doctrina, etiam ab
Isaia tradita, & olim in Vereri Testamento cognita.

Neque enim in alio salus: non aliud nomen sub cælo,
Act. 4. v. 12. Jehoua iustitia nostra, Jer. 23. & 33. v. 17. Co-
gnitione sui iustificabit, Esa. 53. v. 11. Factus iustitia, 1. Co-
rint. 1. Nec alia ratione illa iustitia quam fide apprehen-
ditur. Qui credit, non condemnabitur, non iudicabitur;
Joh. 3. v. 18. & 5. v. 24. & 6. v. 40. & 47. & 11. vers. 25. Paulus
carceratio: Crede in Dominum Jesum, Act. 16. v. 31. Ei-
gone licet facere quod volumus, tantum credamus: Mi-
nime. Fides si vera est, viua est, non mortua, Jacob. 2. vers.
17. & 18.

F I N I S.

T H E M A X C V I.

Esa. 49. v. 14. & 15.

Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum, & cætera.

Dispositionem huius Thematici, vide supra, in I. parte
Promptuarii, Classe I V. Num. XI. pag. 286.

T H E M A X C V I I.

Esa. 51. v. 6.

*Cælis sicut fumus liquefcunt: Et terra sicut vestimentum
veterasces, & qui in illa sunt, morientur.*

D I S P O S.